



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117964**

§. 25. Gregorii VII. obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI. maro Bremensi. Aderant Episcopi septendecim, aliorumque etiam ex Gallia & Italia Legati. Sententia Depositionis Gregorii confirmata. Excommunicatio in eundem, omnesque, qui eum Papam haberent, lata. Quin etiam non nulli Episcopi depositi, iisque alii subrogati. Ita Hermannus Metis expulsus est, sed populus eum, quem Imperator suffecerat, recipere recusavit. Meginhardus proscripito Adalberone Episcopus *Ab. Ursp.* Herbipolensis ordinatus. In eodem Concilio Treuga Sacra confirmata.

Haud multo exinde elapso tempore Schismaticorum præcipui in Longobardia ex hac vita abierunt, scilicet Eberhardus Episcopus Parmensis, anno superiore in pugna captus, & in hac Sede Cadaloo Antipapæ successor, Gandulfus Episcopus Rhegiensis, & Theodaldus Archiepiscopus Mediolanensis, qui hanc Sedem annis decem, Gregorio Papæ semper infensus, tenuerat. Ei successit Anselmus III. vir Catholicus, & legitimis Pontificibus submissus.

## §. XXV.

*Gregorii VII. obitus.*

*vit. per Paul. c. 12.* Interim Gregorius Papa Salerni commorans in morbum incidit, cognovitque imminere obitum suum. Rogatus ab Episcopis & Cardinalibus, qui apud eum

verfabantur, ut sibi Successorem & Ec-  
clesiæ ultorem contra Guibertum adul-  
terum nominaret, trium virorum optio-  
nem fecit, scilicet Desiderii Cardinalis &  
Abbatis Cassinensis, qui etiam successit,  
Ottonis Episcopi Ostiensis, qui postea  
etiam accepto nomine Urbani II. S. Pe-  
tri Cathedram tenuit, & Hugonis Ar-  
chiepiscopi Lugdunensis. Quia vero  
Otto Legatus ex partibus Germaniæ  
necdum redierat, & Hugo in sua provin-  
cia degebat, suasit ut eligerent Deside-  
rium vicinum. Is ad Papam ægrotan-  
tem venerat ultima obsequia morituro  
exhibiturus; sed prædixit ei Gregorius,  
se animam efflante ipsum præsto non fu-  
turum. Et ecce, Normannis quamdam  
Arcem monasterii expugnare conanti-  
bus, Desiderius relicto Pontifice ad sua  
remeare coactus est.

Papa interrogatus an non illis, quos  
excommunicasset, aliquatenus indulge-  
re vellet, respondit, quod, excepto Hen-  
rico, Rege dicto, Guiberto Antipapa, &  
præcipuis fautoribus, qui ipsis consilium  
& opem ferrent, omnes illos absolveret  
isque benediceret, qui sibi hanc potesta-  
tem datam esse crederent. Ultimus ve-  
ro expirantis gemitus fuit: *Iustitiam di-  
lexi & odivi iniquitatem; ideo morior  
in exilio.* Ita animam Deo reddidit  
Gregorius vigesima quinta Maji anno

Sæculum XI.  
A.C. 1085.

Sæculum XI. millesimo octogesimo quinto, sepultus  
A.C. 1085. que est Salerni in Ecclesia S. Matthæi, cu-  
 jus corpus ante annos circiter quinque  
 ibi inventum; quare Papa hanc felicita-  
 tem Alfano Archiepiscopo, data deci-  
 ma octava Septembris anno millesimo  
 octogesimo epistola, gratulatus fuerat.  
 Sed nemo memorat, quo pacto hæ Reli-  
 quia Salernum delatæ, & quibus argu-  
 mentis credendum, quod S. Matthæi cor-  
 pus sit. (\*)

VIII.ep.8.

vit. Greg.  
 c. 13.  
 vit. Anselm.  
 n. 26.

Gregorius VII. Sacram Sedem annis  
 ferme duodecim tenuit, & complures  
 Scriptores referunt, ejus tumulum per-  
 multis miraculis claruisse. Inter cetera  
 narrant, Ubaldum Episcopum Mantua-  
 num, diu splenis doloribus, & ulceribus  
 in toto corpore præsertim in cruribus  
 afflictum, postquam multam pecuniam  
 in medicos frustra effudisset, cum Mitram  
 Grego-

(\*) De S. Gregorio Reverendissimus Calmet  
 Hist. Univers. Lib. CII. iterum notat: Vir fuit  
 Gregorius Religionis zelo, viva fide, & singula-  
 ri fortitudine inclytus. Non nulla quidem de  
 Potestate Ecclesiæ & Ministrorum ejus in Re-  
 ges æque ac plebejos hausta principia acriter  
 defendit, & majore forsitan quam expediebat vi-  
 gore ad usum reduxit; verum enim vero illud  
 quoque fatendum est; rem ipsi fuisse cum homi-  
 nibus obstinatissimis & contumacissimis, quorum  
 879.

Gregorii illi parti, in qua acutissimus Sæculum XI.  
 erat dolor, admovisset, derepente fuisse A.C.1085.  
 sanitati restitutum. Gregorius Papa  
 hanc Mitram moriens misit S. Anselmo  
 Lucensi, amico suo & cultori eximio, qui  
 & alia per eam edidit miracula. Cete-  
 rum vitam Gregorii VII. annis post obi-  
 tum ejus ferme quadraginta quinque  
 scripsit Paulus Canonicus Regularis Bern-  
 riedensis in Bavaria, qui illa præ ceteris  
 facta extollit, quæ prodigiosa existimat,  
 atque ad ostendendam Gregorii Sancti-  
 tatem apta. Anastasius IV. Papa Gre- Papebroch.  
 gorium Romæ in quadam Ecclesia, annis 25. Maji.  
 circiter sexaginta, postquam e vivis abiit p. 104. &  
 set, inter Sanctos depingi jussit. Anno conat. pag.  
 millesimo quingentesimo septuagesimo 208.  
 septimo Marcus Antonius Columnius,  
 Archiepiscopus Salernitanus, Gregorii  
 corpus integrum cultu Pontificali indu-

K k 4 tum

*errores Censura manifeste dignos, & Christia-  
 næ Religionis spiritui maxime oppositos, corri-  
 gere satagebat. Dissimulari enim nequit, ipsius  
 ætate Simoniacæ labem totam prope Ecclesiam  
 infecisse, & Clericorum continentiam non ser-  
 vantium licentiam ad summum impudentiæ gra-  
 dum pervenisse . . . . extremi mali vis remedia  
 extrema exposcebat. Opus erat Pontifice Reli-  
 gioso, constante, intrepido, qui vitiorum tor-  
 renti totam Christiani Orbis faciem inundanti  
 generosum pectus objiceret.*

Sæculum XI.  
A.C. 1085.

*Martyr. Ro*  
*25. Maji.*

tum invenit, & Epitaphium composuit. Anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto ejus Nomen Martyrologio Romano jussu Gregorii Papæ XIII. emendato insertum, & tandem Paulus V. Papa, data Bulla, anno millesimo sexcentesimo nono, Gregorium tanquam Sanctum officio publico colendi licentiam Capitulo Salernitano concessit.

§. XXVI.

*Scripta Cardinalis Bennonis.*

*Fascic. rer.*  
*ex petend.*  
*fol. 39.*

Quæ Schismatici de hoc Pontifice in vulgus sparserint, ex Scriptis Bennonis Archipresbyteri Cardinalis, qui Guiberti Antipapæ partes sectabatur, docemur. Duas edidit epistolas tanto felle exaratas, ut vera a mendaciis discerni difficulter possint. Epistolæ primæ initio Benno membra Romanæ Ecclesiæ enumerat, quæ ab Hildebrando defecerant, & nominat decem Cardinales, Primicerium Cantorum, & complures præfectos, cohortesque, quibus præerant. In altera epistola recenset Cardinales tredecim. Tum ad ea progreditur, quæ Hildebrando exprobrare audebat. Ejus Electionem affirmat fuisse illegitimam, quod eadem die, qua Alexander ejus Antecessor mortali vita functus esset, proclamatus fuisset, non obstante, quod legibus Ecclesiasticis cautum